

• S • G • B • T • B •



• T • G • G • T •



z. B. A. h

W. A.

J. q. 259.



57
COLLEGII TERTII
In Augustanam Confessionem
DISPUTATIO XXIV.

continens
ANTIŒZIN ARTICVLI VII.

De Ecclesia,

Et in specie,
DE QUÆSTIONE:

An præter Christum, debeat esse
aliquod visibile caput Ecclesiæ in terris, qui loco
Christi visibiliter gubernet Ecclesiam.

Proposita.

In Electorali Academia VVittebergensi,

PRÆSIDE

JACOBO MARTINI S.S. Th.

Doct. & Profess. Publ. Primario, Facult. Theol.

Seniore, ac Templi Arcis Præposito,

RESPONDENTE

M. CHRISTIANO Schrecken Salburgensi

Varisco, Alumn. Elect.

In Auditorio Collegii Veteris

Ad diem 17. Octobr.

WITTEBERGÆ,

Typis Hæredum SALOMONIS AURBACH, Acad. Typogr.

ANNO M DC XXX.

COLLEGIUM TERTIUM
In Augustiniani Concessionem

DISSERTATIO - XXIV
CONTINENS
ARTIUM APTICUM VII

De Ecclesia

AN PRÆTER CHRISTUM DEBEAT ESSE
ALIQVOD VITÆ CAPUT ECCLESIAE IN TERRIS, QUI LOCQ
CHRISTI VITÆ ET ECCLESIAE

In Electorali Academia Wittebergensi

JACOBO MARTINI S. Th.

Doct. & Prof. Publ. Prædicatori, Facult. Theol.

M. CHRISTIANO GOTTWILHELM SALZBURGENSI

Typis Heriberti GOTTWILHELM SALZBURGENSI, Acad. Typogr.
ANNO MDCCLXX





D. O. M. A.

Continuatio.

ACTENUS ergo tres priores conclusiones, de Christo supremo Ecclesiae capite seu Monarcha, à Becano propositas, vidimus, & examinavimus disputatione precedente, restat nunc posterior sive quartâ: quâ Becanus concludit, *Præter Christum, qui nunc in cælo est, debere esse aliquod visibile caput Ecclesie in terris; qui loco Christi visibiliter gubernet Ecclesiam.* De quâ hac Disputatione agemus.

T H E S I S I.

Sic ergo ad quartam suam conclusionem pergît Becanus.
§. 19. *Quarta conclusio: Præter Christum, qui nunc in cælo est, debet esse aliquod visibile caput Ecclesie in terris, qui loco Christi visibiliter gubernet Ecclesiam. Non loquor jam speciatim de Petro, vel Pontifice, de quibus postea: sed generatim assero, debere esse aliquod visibile Caput Ecclesie in terris, loco Christi absentis: non quidem, quoad internum influxum gratiæ; sed quoad externam directionem & gubernationem. Sicut in absentia Regis; solet aliquis constitui in Regno, qui vicem illius suppleat in externa politia, præsertim si Rex longo tempore absuturus est.*

II. Primùm negamus simpliciter conclusionem istam,

A 2

& ut

& ut falsam planè rejicimus. Deinde, concedimus quidem Christum nunc in cœlis esse, ut ait Jesuita; sed non sensu Jesuitico: cum ita in cœlis sit, ut simul sedeat ad dextram Dei. *Marc. 16. v. 19.* proindeq; omnia gubernet ac sustentet præsentè, quæ sunt in cœlo & in terra. Quandoquidem Deus ipsum in summam extulit sublimitatem, & donavit ei nomen, quod est supra omne nomen: ut ad nomen Jesu omne genu se flectat, cœlestium, terrestrium & subterraneorum, omnisque lingua confiteatur, quod Dominus sit Jesus Christus ad gloriam Dei patris, *Philipp. 2. v. 9. 10. 11.*

III. Quare etiam simile, à Rege mundano desumptum, est dissimilimum. Christus enim non ita à sua Ecclesiâ abest, ut Reges mundani: qui propter finitatem infirmitatemq; non in omnibus locis præsentès esse possunt, proindeque per vicarios suum Dominium, majestatemque & potestatem coguntur exercere: Christus verò jam sedens ad dextram Dei patris in medio inimicorum dominatur, *Psal. 110. v. 2.* & idèò maxime præsens est: ambulat in medio candelabrorum, *Apoc. 1. v. 13.* & est ac manet apud suam Ecclesiâ omnibus diebus usq; ad consummationem seculi. *Matth. 28. v. 20.* Quocirca tali vicario, quali opus est Regi terreno, non indiget. Sic enim argumentamur si opus esset alio in Ecclesiâ, præter Christum, Monarcha, tum propter absentiam Christi corporalem, & ad unitatem Ecclesiæ conservandam, illo esset opus: At Christus semper adest Ecclesiæ eo modo, quo opus est, & in eo perfectissimè unitas Ecclesiæ conservatur. *Job. 15. v. 16. 17. Rom. 12. v. 5. 1. Cor. 12. v. 12. Gal. 3. v. 28. Philipp. 1. v. 27.* E alio in Ecclesiâ præter Christum Monarchâ nihil est opus.

IV. Promittit nihilominus Becanus, se suam sententiâ affirmativam tribus probaturum rationibus: quas nunc ordine videamus. *Prima sumitur (inquit §. 20.) ex analogia Veteris & Novi Testamenti, hoc modo: Synagoga Mosaica fuit umbra seu typus Ecclesiæ Christi. At Synagoga semper fuit gubernata ab uno visibili capite, nempe à Pontifice, cui reliqui omnes erant subiecti, ut patet ex*

ret ex libris Exodi, Levitici, & Deuteronomii: Ergò etiam Ecclesia
semper debet gubernari ab uno visibili capite. Sequela patet, quia
gubernari ab uno capite, perfectius est, quam gubernari à multis. Si
ergo Synagoga, quæ fuit imperfectior, quam est Ecclesia, semper gu-
bernata fuit ab uno capite; majori ratione debet Ecclesia gubernari
ab uno capite.

V. Sic ergò vult argumentari Becanus: Ut fuit guber-
nata umbra & typus Ecclesiæ Novi Testamenti, nempe Syna-
goga Mosaica: sic quoque debet gubernari antitypus, nempe
ipsa Ecclesia Christi in Novo Testamento: At umbra & typus
Ecclesiæ Christi, nempe Synagoga Mosaica, semper fuit guber-
nata ab uno visibili capite, nempe Pontifice: Ergo ejus quoque
antitypus, Ecclesia nimirum Christi in N.T. gubernari debet ab
uno visibili capite. Respondemus, Majorem non esse veterem.
Nam licet 1. Cor. 10. 11. id videatur Bellarmino, & hic Becano di-
ci: tamen decipiuntur. Quandoquidem typus ibi non sumitur
pro analogia significationis, sed pro morali exemplorum &
pœnarum similium applicatione. Docet enim ibi Apostolus,
quàm fuerint Hebræi erga benefactorem suum ingrati, ideo-
que suo merito puniti & extincti; idque in eum finem facit
Paulus, ut in applicatione, per argumentum à minore ad ma-
jus ductum, Corinthiis probatum reddat. Si in illos, qui sa-
cra duntaxat typica, licet in suo genere eximia, profanarunt,
tam severiter à Deo est animadversum, non debere aliquem
sperare immunitatem habituros illos, qui indignè profanant,
& tractant sacra Novi Testamenti, quippe tantò augustiora
prioribus, quantò corpus umbram, absoluta rei imago ejus-
dem delineationem, & solida substantia figuram, superat &
antecellit. Captio ergo secundum quid est, & nulla consequen-
tia: Illa, quæ enumerat Apostolus, acciderunt in figura: Ergo i-
psa Ecclesia Veteris Testamenti fuit figura Ecclesiæ Novi Te-
stamenti.

VI. Sed ponamus, Synagogam Mosaicam fuisse typum
Ecclesiæ Christi: indenè statim inferendum? fuit figura: Ergo
in eo, quod habuit summum sacerdotem hominem tantum?

Ar 35

Quid?

Quid? quod illa figura in Christo fuit adimpleta. *Hebr. 10. v. 12.*
Deinde, quod hæc planè habere debent illud ipsum, quod illa
habuit: Sed omninò negandum est, debere statim idem esse in
antitypo, quod fuit in typo? Typus enim tantum est umbra
antitypi, & ad illum refertur dumtaxat per similitudinem, non
per eandem rei essentiam. Quando enim idem est in eo, quod
dicitur typus, quod est in altero, quod dicitur antitypus; tùm
illud non est typus: Siquidem contra naturã typi & umbræ est,
habere in se ipsum corpus sive essentiam antitypi, cum illam
tantum per simile aliquod sive analogiam repræsentare de-
beat. Mirum, cur non ex eadem typi & antitypi similitudi-
ne inferat Becanus, nos in Novo Testamento plura habere sa-
crificia: cùm in Veteri habuerunt: habere tantum debere u-
num templum: & sic quæ alia?

VII. Quæ cùm ita sint, & licet Minor concedatur: ni-
hil tamen plus inferri poterit in conclusione, quàm gubernationem
Ecclesiæ Christi, illud habere & esse in rei veritate,
quod ibi per umbram fuerit præfiguratum & significatum:
Verum in illa gubernatione per summum Pontificem præfi-
guratus fuit Christus. Quia igitur Pontificatus pontificis
Mosaici, & ipse pontifex tantum umbra fuit Christi & ejus
Pontificatus: Quomodo quæso habebunt eandem essentiam,
naturam & qualitatem? quaque necessitate sequetur, ut ille
Pontifex Leviticus fuit visibilis, sic etiam vel Christus ipse de-
bet visibiliter gubernare Ecclesiam; vel quia suam visibilem
præsentiam Ecclesiæ subtrahet, debet eam regere per visibile
vicarium? Qualis isthæc est per Deum immortalẽ, consequen-
tia? potius contrarium infertur hoc modo: In quo summus
Pontifex Veteris Testamenti præfiguravit & repræsentavit
Christum dominum: in eo etiam ille in pontificatu suo similis
esse debet Christus: Atqui inter alia etiam in eo summus pon-
tifex Veteris Testamenti præfiguravit, & repræsentavit Chri-
stum Dominum; quod in pontificatu suo socium non habue-
rit: Ergo in eo quoq; illi similis esse debet Christus, & nullum
socium vel vicarium habere.

& Sed

VIII. Sed probare Majorem conatur Jesuita. *Quia*, inquit, *ab uno capite gubernari perfectius est, quam à multis*: Si ergo Synagoga, quæ fuit imperfectior, quam Ecclesia est, semper fuit gubernata ab uno capite, majore ratione Ecclesia gubernari debet ab uno capite. Respondemus: Nos concedere Ecclesiam hæc in terris regi monarchicè: sed tantum à Christo. Si autem perfectius est gubernari Ecclesiam ab uno capite, quam à multis; & hæc hypothesis conceditur; quâ quæso consequentiâ inferatur illud caput necessariò visibile esse? Nullâ. Tertio, invertamus argumentum, & in ipsam adversarium retorqueamus: Si ab uno capite gubernari perfectius est, quam à multis: quorsum opus erit duobus capitibus, visibili & invisibili?

IX. Cæterum ratio quoq; & hypothesis Becani debet distingui. Nam ab uno capite gubernari, hoc est, monarchiam esse optimum regimen, absolute consideratam, verum est, at ratione circumstantiarum, falsum: quod vel ipsimet politici concedunt. Quia igitur in regimine Ecclesiastico præter circumstantiam personæ, quod nimirum unus homo non possit regere omnes per unversum terrarum orbem Ecclesias; requiritur insuper circumstantia institutionis Christi; non utique quaritur de præstantia hujus vel illius regiminis: sed de regimine à Christo instituto: At certum est regimen Ecclesiæ, ut à Christo institutum est, esse utilissimum & optimum, licet non sit monarchicum. Quare consequentia ista bona non est: Monarchia est regimen præstantius in politica: Ergò etiam in Ecclesia. Oportet enim ad id stabilendum in Ecclesia accedat Christi institutio; quemadmodum in Veteri Testamento ad summum Pontificem constituendum. Ibi enim summus Pontifex expressis verbis constitutus fuit. Monstret Jesuita simile factum esse in Novo Testamento. Monstret, inquam, quando, ubi, cur, quibus verbis Christus visibile caput post se constituerit? Sane non unum, sed duodecim Apostolos elegit, nulli supremum Pontificatum detulit. Atq; hoc tam evidens est in scriptura, ut in conscientia convictus concedere cogatur Bellarminus, summam Potestatem Ecclesiasticam non Petro tantum

tantum datam esse; sed aliis quoque Apostolis: Verum sine omni fundamento scripturæ ait, datam fuisse Petro, ut cui succederetur, aliis verò quibus non succederetur. Suavissimum somnium ex campo Elyfio!

X. Deinde, quod in Minore dicit Becanus, *Synagogam semper fuisse gubernatam ab uno capite visibili, nempe à Pontifice, cui reliqui omnes fuerunt subjecti: neque istud simpliciter est concedendum. Nam Pontifex Veteris Testamenti Monarchicam potestatem nequaquam habuit: licet cæterorum sacerdotum inspector, & negotiorum Ecclesiasticorum director fuerit.*

XI. Porro excipit Becanus contra nostram, thesi 6. datam responsionem. *Dices (pergit §. 21.) analogia in eo consistit, quòd sic, ut Synagoga habuit unum caput nempe Pontificem; ita Ecclesia habeat unum caput, nempe Christum. Respondeo. Duplex Analogia assignanda est: una, quoad internum influxum gratiæ: altera, quoad externam gubernationem. Prior in eo consistit, quòd, sicut Christus per sua merita prævisa contulit Synagoga internam gratiã: ita per sua merita jam exhibita, multò abundantioram gratiam conferat Ecclesie. Posterior in eo, quòd sicut Moyses, Mediator Veteris Testamenti, fuit primum caput visibile Synagoga, quoad externum regimen; ita Christus, mediator Novi Testamenti, fuerit primum caput visibile Ecclesie, in externo regimine. Rursum, sicut post mortem Moysis, semper perseveravit visibile regimen synagoga: ita post Ascensionem Christi, semper perseveret visibile regimen Ecclesie.*

XII. Respondemus adhuc, propriè loquendo Synagoga Mosaica non fuit typus & figura Ecclesie Christianæ. Sed Pontifex Synagoga, fuit typus Christi. Deinde distinguendum est inter regimen Ecclesie Christi principale, & ministeriale. Si omninò aliquid indulgendum adversario, dicendum: Ut Pontifex Mosaicus fuit typus Christi: sic quoq; regimen illius pontificis ratione formæ fuit typus, ratione formæ regiminis principalis Christi: nequaquam verò fuit typus & similitudo formæ regiminis ministerialis. Ut enim Pontifex Mosaicus fuit unus, sic etiam caput Christianæ Ecclesie est unū; & rursus:
ut for-

ut forma regiminis Synagogæ Mosaicæ fuit Monarchica: sic quoq; forma regiminis principalis in Ecclesia Christi est Monarchica. Hoc namq; est, quod scriptura docet, nō esse alium Monarcham præter Christum, imò docet solum Christum Ecclesiæ caput Monarchicum esse. *1. Cor. 12. v. 17. Eph. 1. v. 22. & 4. v. 15. & 5. v. 25. Coloss. 1. v. 18. & 2. v. 10.* Ut autem pontifex Mosaicus non fuit typus ministrorum Christi, sic neq; ejus regimen esse potuit typus regiminis ministerialis in Ecclesia Christi: cum illud à Christo institutum Aristocraticum *Matth. 18. v. 17. Act. 20. v. 28. Eph. 7. v. 11. & alibi.*

XIII. Vana ergo sunt, quæ fabulatur de duplici analogiâ. Nam 1. non tantum Christus in Novo Testamento suam gratiam confert meritorie: sed etiam effective, 2. falsa est illa analogia, quam fingit, inter Moysen & Christum, idq; non uno modo. Primum enim falsa est. Quandoquidem Moyses nō fuit primum caput visibile Synagogæ. Nūquam enim fuit summus Pontifex. Si actus aliquos sacerdotales peregit, nō ut summus Pontifex, sed ut Propheta singulari Dei jussu peregit. Quare licet aliis respectibus & rationibus Moyses fuerit typus Christi; hoc verò respectu, quem non habet, non fuit.

XIV. Deinde falsa est, quia mortem Moysis, & ejus consequens, & deinde resurrectionem Christi & ejus consequens confert, ut typum & antitypum. Quid verò absurdius quit cogitari? Maxima enim dissimilitudo est. Nam Moyses post mortem suam nō resurrexit, ut gubernare posset populum Domini post resurrectionem suam, & ideo necessarium fuit in ejus locum, alium gubernatorem surrogare. Verum Christus post mortem suam revixit, & ascendit in coelos, ac sedet ad dextram Dei longè supra omne imperium ac potestatem, & potentiam & Dominium, & omne nomen, quod nominatur non solum in seculo hoc, verum etiam in futuro, & constitutus est caput supra omnia ipsi Ecclesiæ. *Eph. 1. v. 20. 21. 22.* Hæc si se ita habuissent in Moysen, utiq; nec ipse successore opus habuisset.

XV. Tertiò falsa. Quia non rectè conjungit Moysen cū suo consequente: unde rursus oritur falsa collatio Synagogæ &

anivib

B

Eccle;

Ecclesiæ Christi. Ut post mortem Moysi semper perseveravit visibi-
le regnum synagoga, dicit: ubi dicere debebat. Ut post mortem Moysi
surrogatum fuit semper aliud atq; aliud caput visibile Synagoga. Quā-
doquidem de visibili capite Synagoga quæstio est, non de visi-
bili Synagoga: ut & de visibili capite Ecclesiæ post ascensionem
Christi. Nam esse post illam visibilem Ecclesiam, nemo etiam
Lutheranorum in dubium vocat. Sed aliter loqui non ausus
fuit, ne in manifesto errore deprehenderetur. Quandoquidem
Mosi non successit aliud caput synagoga, nempe Pontifex, sed
alius gubernator & dux populi politicus, nempe Josua Deut.
34. v. 9. Jos. 1. v. 2 seqq. qui summus Pontifex non fuit. Quomodo
etiam Josua Mosi in Pontificatu, & summo sacerdotio succe-
dere potuisset: cum summus Pontifex nunquam fuerit, sed et-
iam adhuc vivente Mose officium illud Aaroni esset deman-
datum. Qui fuit summus Pontifex, & illi successerunt alii ne-
quaquam Mosi.

XVI. Pergit Becanus §. 22. Ex utraq; analogia colliguntur
hæc. 1. Invisibile caput Synagoga & Ecclesiæ, quoad internum influxum
gratiæ, esse idem, nempe Christum. 2. Visibile caput Synagoga & Ec-
clesiæ, quoad externam gubernationem, esse diversum. Nam visibile ca-
put Synagoga, ab initio fuit Moyses, cui postea successerunt Pontifices
legales. Visibile autem caput Ecclesiæ, ab initio fuit Christus, cujus lo-
cum postea supplevit Petrus, & ejus successores. 3. Moysen fuisse figu-
ram Christi, quoad externam gubernationem. Nam sicut Moyses fuit
Legislator, Mediator & Princeps in Veteri Testamento; ita Christus
in Novo. 4. Pontifices Veteris Testamenti fuisse typum seu figuram
Pontificum Novi Testamenti. Nam sicut illi in externo regimine præ-
sidebant toti populo Judeorum; ita hi toti populo Christianorum.

XVII. Respondemus: Primum Jesuita committit fal-
laciã à dicto secundum quid. Invisibile enim caput fuit qui-
dem, & est idem in utraq; Ecclesiã quoad personam: non verò
simpliciter quoad naturas, & personæ conditionem. In Synago-
ga Mosaica fuit caput Ecclesiæ persona simplex, constans solã
divinã naturã, & sic simpliciter Deus & filius Dei: In Ecclesia
autem Novi Testamenti est caput persona composita, constans
divina

divina & humana natura, & sic θειανθρωπος, Deus & homo, filius Dei & filius hominis: G. gas geminae substantiae. Quae sane differentia non exigua, sed maxima est: & quia filius Dei in Novo Testamento debebat esse caput Ecclesiae per humanam naturam, & in ea, perque eam omnia sacerdotalia munia subire, & sic longe alio modo atque in Veteri Testamento, ubi λόγος non dum erat incarnatus: ea propter voluit Deus in Synagoga Judaica ordinare aliquem hominem, qui gereret typum futurae humanae naturae in Christo. Hic ergo typus & figura, quia per adventum Christi in carnem sublata est, nulla consequentia inferri potest, ut Aaroni post mortem successerunt alii in officio: sic necesse esse, ut post resurrectionem Christi alii in officio summi pontificatus succedant. Ratio est manifesta. Nam successores Aaronis erant eodem modo & gradu summi sacerdotis, ut ipse Aaron: quod falsum est de successoribus Christi, quos fingunt Pontificij: Nemo enim fungi potest eodem officio, & ita sacrificare, intercedere pro populo, ut Christus fecit. Deinde si illa successio in Novo Testamento locum haberet, tum constituendi essent successores Aaronis typi successorum Christi: Quod nulla scriptura nullaque ratione probabunt pontificij: cum, ut diximus, omnes successores Aaronis atque fuerint typi Christi, ut ipse Aaron. Si ergo Pontificiorum typus non fuit Aaron, ut nequaquam fuit, ergo nequaquam etiam illorum typi erunt Aaronis successores: cum omnium eadem fuit ratio, dignitas, officium, officii munia, quaeque omnia ad Christum ejusque rationes & passionem, & quidem solas, referantur. Confundunt ergo Pontificij illa, quae sunt propria umbrarum cum illis quae sunt propria corporis.

XVIII. Quae cum ita sint, utique etiam negamus, quod ad externam gubernationem, Ecclesiam & Synagogam Judaicam se habere tantum diversimode, cum se habeant plane dissimiliter. Nulla igitur consequentia: *In Synagoga fuit visibile caput: Ergo etiam necesse est, ut sit in Ecclesia Novi Test.* Ratio quia visibile caput in Synagoga tantum erat typicum: Typus autem non consistebat in visibilitate, sed in officio ejus, qui visibilis erat.

Negamus rursus *visibile caput Synagoga*, hoc est, pontificē summum, fuisse Moſen. Fuit enim Aaron. Negamus & hoc, quod habuerit ſucceſſores, itemq; quod fuerit viſibilis, ipſum fuiſſe typum Chriſti, & cū Chriſto conferendum, ut modò dictum & demonſtratum: uti etiam in initio viſibile caput Eccleſiæ Novi Teſtam. fuiſſe Chriſtum ſenſu Pontificio, defendi nō po- teſt: cum ipſo prior fuerit Johannes Baptiſta: ſiquidem poſt illum venit Chriſtus *Job. i. v. 27. & 30.* Si autē Chriſtus fuit, ut re- vera fuit, & adhuc eſt Eccleſiæ caput, non Johannes: in eo non habuit typum Moſen, ut quidem falſò opinatur Becanus, ſed Aaronem. Petrum & ejus ſucceſſores ſuppleviſſe locum Chri- ſti, in cælum aſcendentis, ſine ratione & ſcripturâ garrunt Je- ſuitæ. Chriſtum fuiſſe legiſlatorem, ut Moſen, figmentum Je- ſuiticum eſt: quippe quos in hoc non ſimiles ſed diſſimiles fa- cit Scriptura; ſicut dicitur *Joh. i. v. 17. Lex per Moſen data eſt, gra- tia & veritas per Jeſum Chriſtum facta eſt.* Geſſit enim Moſes ty- pum Chriſti, ſed non in omnibus: Non in eo, ut diximus, quod erat legiſlator & legis promulgator & concionator: Geſſit au- tem quatenus, ut Mediator, orabat pro populo: quatenus ut re- demtor & conſervator ducebat & liberabat populum ex ſer- vitute Ægyptiaca; quatenus ut Propheta illum docebat: quæ ſimilitudo extat *Deut. 18. v. 15. &c.* Nulla autē conſequentia eſt, Moſes fuit typus Chriſti in nonnullis: Ergo in omnibus: Ergo & necesse eſt, ut eodē modo operetur, ut Moſes fuit operatus in illis, in quibus typum geſſit. Nulla rursus conſequentia: Nā, ut probavimus, id eſt diametro pugnat cum naturæ typi.

XIX. Tandem quod dicitur Pontifex Veteris Teſtam. fuiſſe typus Pontificis, ſive vicarii Chriſti, quem fingunt Papā, in Eccleſia Novi Teſtam. ut ſine ratione dicitur, ita cum ratio- ne rejicitur. Sed audiamus nihilominus, quid prætendat. *Nam (inquit) ſicut illi, in externo regimine præſidebant toti populo Judai- co, ita hi toti populo Chriſtiano.* Egregia ſanè ratio turpiter petēs principium. Cur non etiam iſta valeat collatio, inter Pontificē Romanum, & Leviticum: Ut Pōtifex Leviticus ingrediebat in ſanctum ſanctorum cum ſanguine hircorum & vitulorum: ſic quo-

fic quoq; Pontifex Romanus in Novo Testamento? Cur ergo horum sanguine non contentus, sese inebriat sanguine testium Jesu? Prius demonstrat Becanus, Pontificem & vicariū Christi dari in Novo Testamento, & tum inter ipsum & Pontificem summum Veteris Testamenti instituat collationem. Nulla enim relatio est prior, vel omninō est, ante suum fundamentum vel subjectum. Quod quando non esse probatur, per se corrumpit omnis illi afficta relatio & collatio: cum Non entis nullæ sint affectiones, nullæ proprietates. Pontifex in Veteri Testamēto ad hoc, ut præesset populo Judaico in rebus spiritualibus, ordinatus & obligatus erat mandato divino. Eiusmodi quoq; ordinationem & mandatum ostendat Pontifex Romanus se habere à Christo, & tum credemus, isto modo conferri posse pontificem Mosaicum, & hominem istum peccati, qui se in Ecclesia Christi pontificem mentitur.

XX. Pergit Becanus ad secundam rationem §. 23. *Secunda ratio*, inquit, *sumitur ex iis scripturae testimoniis, ubi Ecclesia comparatur cum exercitu bene ordinato Cant. 6.3. Pulchra est amica mea, suavis & decora, sicut Jerusalem, terribilis, ut castrorum acies ordinata. Item cum Regno Dan. 2. 44. suscitabit Deus cæli regnum, quod in æternum non dissipabitur. Item cum ovili (Joan. 10. 16. Fiet unum ovile, & unus Pastor.) Item cum domo (1. Timoth. 3. 15. Ut scias, quomodo oporteat te in Domo Dei cōversari, qua est Ecclesia Dei vivi.) Item cū humano corpore, (1. Corinth. 12. Sicut corpus unum est, & multa habet membra, ita & Christus). Si ita est, necessariō sequitur, sicut exercitus bene ordinatus regitur ab uno Imperatore; regnum ab uno Rege, ovile ab uno Pastore; domus ab uno Patrefamilias; corpus humanum ab uno capite: ita etiam Ecclesiam gubernari ab uno Rectore. Nec satis est, si dicas, hunc unum Rectorem esse Christum. Christus quidem Rector est, quoad internū influxum gratiæ, etiamsi absens sit: sed non potest esse, quoad externam gubernationem, quando absens est. Igitur alius debet esse illius loco. Quod patet ex metaphoris jam allatis. Nam sicut in exercitu, quando procedit cōtra hostem, necessariō debet adesse unus supremus Dux, aut in ejus absentia aliquis illius vicarius, qui omnia dirigat, & cui omnes reliqui obediant; sic etiam*

*servata proportione fieri debet in Ecclesia. Alioqui non erit unitas; sed
divisio, schisma & dissensio.*

XXI. Si verum est, quod dicit Becanus ex allegatis simi-
litudinibus necessariò sequi; Ecclesiam ab uno rectore guber-
nandam esse: Tum demonstranda erit necessitas consequentiæ e-
jusmodi syllogismo: Quod cum aliquo cõparatur, de eo dicũ-
tur omnia illa, quæcunq; de eo dicũtur, quo cum comparatur:
Sed Ecclesia cõparatur cum amica sive sponsa, cũ exercitu be-
nè ordinato, cum agro, cum ovili, cum domo, cũ humano cor-
pore: Ergò quæcunque de amicâ, exercitu, regno, ovili, domo,
corpore humano dicuntur, ea etiam de Ecclesia rectè dici pos-
sunt. Unde porrò inferendum: Quæcunq; de amica, exercitu,
regno, ovili, domo, corpore humano dicuntur; ea etiam de Ec-
clesia rectè dicuntur: Atqui de amicâ sive sponsa dicitur, quod
habeat unum sponsum; de exercitu, quod habeat unum Impe-
ratorem; de regno, quod habeat unum regem; de ovili, quod
habeat unum pastorem; de domo, quod habeat unum dispen-
satores; de corpore humano, quod habeat unum caput: Ergo
de Ecclesia etiam dicitur, quod habeat unum summum sacer-
dotem sive pontificem.

XXII. Respondemus primum ad prosyllogismi Ma-
jorem, illam non esse veram. Non enim quæcunq; de eo, quod
cum aliquo confertur, dicuntur, illa etiam dicuntur de eo, quo
cum confertur. Hypocritæ comparantur cum sepulchris de-
albatis. *Matth. 23. v. 27.* Sed sepulcra dealbata & hypocritæ nul-
lâ alia re conveniunt, quàm interno fœtore, & externo splen-
dore, reliquis rebus omnibus differunt. Nero comparatur cũ
Leone. *2. Tim. 4. v. 17.* Sed Nero & Leo nulla alia re conveniunt,
quàm crudelitate, reliquis omnibus differunt. Planè eodem
modo, quæ cum Ecclesia conferuntur, non per omnia cum Ec-
clesiâ conveniunt. Sufficit, si in illis rebus est similitudo, de
quibus collatio instituitur. Si verò ex his tantum Majorem
formas, tum illa erit particularis hujusmodi: Quod cum ali-
quo comparatur, de eo dicuntur quedam, quæ dicuntur de eo,
quo cum comparatur. Verum ex particulari Majore in prima
figura nihil rectè sequitur. 23. Ut

XXIII. Ut autem Major, sic quoq; Minor vitiosissima & sophistica est. Habet sex membra: & in singulis est fallacia à non causa ut causa. Primum membrum est *de amica sive sponsa*. Sed non quia Pontifex est Monarcha in Ecclesia, ideo confertur ea amicæ vel sponsæ: sed quia Ecclesia à Christo ut sponso unicè diligitur, ejusque spiritualis conjugii fidem castè servat, ideo cum uxore confertur. *Eph. 5. v. 23.* Secundum membrum est *de Exercitu*: sed non fit illud quatenus unum Imperatorem habet; ut in eo Ecclesia illi sit similis; sed quatenus est vexillatus & paratus ad prælia: Sic enim Ecclesia non tantum semper est parata ad certamen, sed etiam contra carnem, satanam & ceteros Christi hostes, semper pugnat & certat: ideo comparatur cum exercitu *Eph. 6. v. 11.* Tertium membrum est, *Regnum*; sed non quia est aliquis visibilis Monarcha in Ecclesia, illa cum regno cōfertur: sed quia omnes Christiani Christi subditi sunt, & ab eo defenduntur, ideo cum regno comparatur *Matth. 6. v. 10.* Quartum membrum est *ovile*, Non autem propterea cum illo cōfertur Ecclesia, quod in ea sit aliquis visibilis Monarcha: Sed quia omnes Christiani à Christo spirituali cibo pascuntur, ideo cum ovili confertur, *Job. 10. v. 14.* Quintum membrum est *Domus*: cum qua etiam Ecclesia non confertur, quod in ea sit visibilis Monarcha; sed quia omnes Christiani, tanquam domestici, se mutuis officiis juvant, & Christi beneficiis fruuntur, ideo Ecclesia dicitur domus Dei, *Gal. 6. v. 10. Eph. 2. v. 19.* Sextum & ultimum membrum est *corpus humanum*: cum quo confertur Ecclesia, non quod in illa sit visibilis Rex sive Monarcha; sed quia singula Ecclesiæ membra arctissimè inter se, & cum capite Christo juncta sunt, ab eoq; alimentum spiritualis vitæ accipiunt, ideo confertur Ecclesia cum corpore humano, *Ephes. 4. v. 16.*

XXIV. Cum igitur Major in utroque syllogismo sit falsa: & Minor secundi syllogismi laboret perpetua fallacia à non causa ut causâ, manifestum est, conclusionem veram esse non posse: proindeq; consequentiæ necessitatem, quam Jesuiticâ audaciâ jactat Becanus, nullam esse. Ubi non possum non

nora-

notare Jesuiticum singulare argumentandi artificium & acumen, quo ex quolibet quidlibet producitur. Quia enim Ecclesia vocatur uxor vel sponsa, ideo est multitudo aliqua, quæ unum caput & Monarcham habet, ut ex præcedente argumento apparuit: At quia Antichristus appellatur homo peccati, 2. *Thess.* 2. in singulari numero, ideo non est aliqua multitudo, quæ Monarcham habet, sed est tantum unica persona, *Bellarmin.* de *Papa Romano* lib. 3. c. 2. loco secundo. Atqui verò Mulier tam est singularis numeri, quàm homo peccati. Si igitur à muliere, qua cum Ecclesia confertur, rectè colligitur, Ecclesiam esse aliquam multitudinem, quæ unum Monarcham habet; ostendat Jesuita ex Logica sua Jesuitica aliquam rationem vel causam, quâ ex homine peccati non æque possim colligere, Antichristum esse aliquam multitudinem, quæ unum aliquem Monarcham habet.

XXV. Cæterum, postquam probamus consequens Becani prorsus inconsequens esse, non necesse est, ut respondeamus ad id, quod dicit Jesuita: *Nec satis esse, si dicas, hunc unum Rectorem esse Christum.* Probavimus enim ex illis similitudinibus, non sequi assertivum Becani, *Ecclesie Christi gubernationem esse Monarchicam*: qui interim nihil aliud, quàm hoc confitemur & defendimus, Christum esse unicum & solum Monarcham suæ Ecclesie, uti in præcedentibus probavimus. Et si plures essent Monarchæ & capita Ecclesie, tum Ecclesia esset corpus monstruosum: Quod absurdum, ideo rectè Gregorius Papa Johannis Constantinopolitani Episcopi, qui universalis Ecclesie capitis titulum sibi arrogabat, factum recundit, *Epist.* 36. c. 34. l. 4.

XXVI. Sed excipit Becanus: *Qui absens est ab Ecclesia, non potest esse Rector Ecclesie; quoad externam gubernationem: At Christus absens est à suâ Ecclesia: Ergo non potest esse Rector quoad externam gubernationem: Et per consequens quoad externam gubernationem, requiritur præter absentem Christum aliud ad huc caput visibile.*

XXVII. Minor est impium mendacium Jesuiticum, nem-

nempe Christum abesse à sua domo & à suo regno, & caput à suo corpore abesse. Quis Christianorum sine indignatione, potest audire ejusmodi blasphemias nugas? Sanè quò Christus est Deus, haud dubiè omnia implet, juxtà illud Jeremiæ cap. 23. v. 23. *Putasne Deus è vicino ego sum, & non Deus à longè? Num occultabitur vir in absconditis, ut ego non videbo eum, dicit Dominus. Nunquid cælum & terram ego impleo dicit Dominus.* Uti etiam *in Deo movemur, vivimus & sumus.* Act. 17. v. 28. & sic non abest ab Ecclesia. Quà homo, ascendit supra omnes cælos, ut omnia impleret, *Eph 4. v. 10.* nempe ut omnibus rebus (ut homo) præsens esset modo supernaturali, omniaq; pro suo nutu gubernaret. Id enim est, *adimplere omnia:* sicut nos docet locus jam ex Jeremià allegatus. Et promissio ejus rata est: *Ubi duo vel tres congregati sunt, quod adesse velit in medio illorum, Matth. 18. v. 20.* idemq; promisit *Matth. 28. v. 20.*

XXVIII. Mundani quidem principes & Reges coguntur quibusdam provinciis suorum regnorum Toparchas & vicarios præficere: quò diversarum provinciarum intercapedo & negotiorum multitudo ipsorum præsentiā excludat: Sed quid hoc ad Christum, qui, ut audivimus, cælum & terram suà præsentiā implet, quemq; proindè ad dextram excelsissimè *μεγαλωσύνης θεῶν, Hebr. 1. v. 3.* sedentem nulla distantia locorum impedit, nec ulla administrandi difficultas obstaculum objicit, cum unus, quippe omnipotens, sufficiat omnibus? Taceo, quòd minimè deceat Mediatorem nostrum abesse, sed adesse ac per se regnare, ut miseras nostras videat, gemitus nostros audiat, nosq; juvet, & ab omni malo liberet.

XXIX. Nec est, quòd distinguat Jesuita inter internum influxum gratiæ, illumque Christo absentis, (ut impiè loquitur) tribuat: & inter gubernationem externam, secundum quam (ut blasphemè ineptit) non possit jam in cælum sublatus esse Rector suæ Ecclesiæ. Quandoquidem nobis non tantum secundum gratiam *πνευματικῶς* præsens est: sed etiam quoad utramq; naturam *σωσευλικῶς*, omniaque coràm videt, audit, dirigit: Et licèt hodie Ecclesiam colligat, doceat & regat

C

per

per media, tamen non per talia, quibus absit, sed quibus præsentissimè adsit: Deinde illis non adest ociosè, sed omnipotenti sua efficacia, omnia pro beneplacito suo dirigens, disponens, & absolvens.

XXX. Tandem posito, sed nequaquam concesso, Christum ab Ecclesiâ jam abesse, nulla tamen consequentiæ necessitate inde inferre & colligere posset Jesuita, quòd necessariû sit unum esse caput visibile. Quandoquidem nullus homo par esse potest Ecclesiæ gubernandæ: quod ne mundus quidem, civiliter regi potest ab uno, & licet hoc fieri posset, non sequeretur, Ecclesiam ita regi debere: quia tale regnum in Ecclesia non esset institutum. Deinde in civili regimine Proreges & alii sunt regum vicarii: at Episcopi non sunt vicarii Episcoporum. Sunt enim omnes Ministri Ecclesiæ pari autoritate atq; potestate à Christo instructi.

XXXI. Pergit Becanus & rem exemplo declarat §. 24. *Exemplo inquit, rem declarabo. Sicut in uno exercitu duos, vel tres Imperatores cum pari potestate: quorum unus decernat, pugnandum esse cum hoste; alter, quiescendum; tertius, fugiendum; quid putas facturos milites? Alij cum hoc, alij cum alio conspirabunt. Tolletur unitas; orietur schisma, exercitus dissipabitur. Applico: Sint in Ecclesia Christi, quæ unica est, plures Episcopi cum pari potestate, qui nullum in terra superiorem agnoscant. Unus eorum decernat, Ecclesiasticos non obligari ad cœlibatum; alius contrarium statuatur; tertius in dubio relinquat, quid hic faciet populus Christianus? quid Clerici inferiores, qui Episcopis subiecti sunt? Distrabentur in varias sectas & dissidia. Quis rediget illos ad unitatem, si non est unus aliquis superior, cui omnes teneantur obtemperare?*

XXXII. Sic ergo argumentatur Jesuita: *Sine quo Ecclesia unitas neq; esse neq; servari potest, sed in divisionem, schismata & dissensiones abit; id ipsum in Ecclesia necessariò esse debet: Atqui sine capite visibili unitas Ecclesiæ visibilis servari non potest, sed abit in divisionem schismata & dissensiones: Ergo caput visibile in Ecclesia esse debet.* Majorem explicat exemplo exercitus: in quo si sunt plures uno Imperatores, consistere non potest.

XXXIII. Major intellecta & accepta de vera, sincera
& essentiali unitate Ecclesiae, omnino concedenda est: Tum
verò neganda est Minor. Nam Christus non unum, sed duo-
decim Apostolos elegit, & iis Ecclesiam pari jure & potestate
gubernandam concessit. Inter illos quidam fuit Petrus: qui
verò non solus Ecclesiam vexit, sed habuit undecim collegas,
qui cum Petro pari jure Ecclesiae ministrarunt. Deinde, Pau-
lus ad Ephesios 4. v. 4. & seqq. agit de unitate Ecclesiae, & ejus
requisita & causas recenset: nullam vero facit mentionem
capitis visibilis: omnino autem faceret, si ad unitatem conser-
vandam caput illud visibile esset necessarium vel prodesset.

XXXIV. Sed excipit: *Sine quo non tantum facile oriri
possunt dissensiones schismata, & in varias sectas & dissidia distractio-
nes, sed etiam nullo modo orta illa rursus possunt componi, decidi &
tolli, nec dissentientes ad unitatem redigi, illud est maxime necessarium:
At sine capite visibili & supremo iudice, cui omnes teneatur obtem-
perare, inter Episcopos & ceteros Ecclesiae Doctores & auditores fa-
cile oriri possunt dissensiones, schismata, & in varias sectas distractio-
nes: neq; orta illa possunt componi, dijudicari, tolli &c. Ergo aliquod
visibile caput, & supremus aliquis iudex, cui omnes tenentur obtem-
perare in Ecclesia, maxime est necessarius.*

XXXV. Minor non est concedenda. Nam visibilis
ille iudex aq; errare potest, imò facilius quam multi. Quan-
do quidem juxta adagium, *oculi plus ac melius vident, quam ocu-
lus.* Quod autem communio etiam à multis regi possit, con-
troversiae dirimi, & dissentientes ad concordiam redigi, testes
sunt formae Reipublicae Democraticae & Aristocraticae. Sic
Respublica Veneta una est, & tamen non regitur ab uno. Di-
cendum ergò quòd omnino etiam sine ejusmodi visibili capi-
te, & uno supremo iudice hominum communio, & sic quoq;
Ecclesia possit esse & conservari, quando nimirum certae leges,
canones, ac regulae sunt constitutae & sancitae, juxta quas o-
mnia sunt dijudicanda & dirigenda. Haec ergo sunt instar unius
capitis & summi iudicis. Quia igitur Christus, unicum Ec-
clesiae caput, nobis certam reliquit normam; juxta quā omnia
in Ec-

in Ecclesia sunt dirigenda, nullo opus est visibili capite, sed satis & abundè satis est Spiritus sanctus in scriptura & per scripturam loquens, quem tanquam summum iudicem in Ecclesia audire tenentur omnes. Et etiamsi inter optimates unus atque alter schismaticus vel hæreticus fieri possit, non tamen hinc cæterorum congregationi autoritas deroganda est.

XXXVI. Objiciunt rursus pontificii, ipsam Lutheranam Ecclesiam Lutheranis objici posse: quæ divisa est in multas sectas, schismata & dissensiones, & id, quod uni capiti non subest, ad veram fidei unitatem adigi non posse. Non negamus quidem, quædam etiam interdum inter nostrates oriri certamina: verùm, illos propterea statim dividi in sectas, pernegamus. Si autem à nobis aliqui defecerunt, à nobis sunt egressi, quia nostri non fuerunt. Et sanè, si qui errores introduxerunt, non est causa, quod non est visibile caput: sed quod à norma, à Christo præscripta & nobis relicta, deflectunt. Quod non tantum in Lutherana, sed etiam longè ante illam in omnibus particularibus Ecclesiis contigit. Oportet enim hæreses esse, *1. Cor. 11. v. 19.* & necesse est ut veniant offendicula. *Matth. 18. v. 7.*

XXXVII. Sic fuerunt lites in Catholicâ Ecclesia tempore Apostolorum; ex quæ de præcipuis fidei capitibus, ut ex *1. Corinth. 11. & 15.* colligi potest. Galatæ item inter se dissentiebant, id quæ de fundamento salutis, ut ex cap. 3. intelligitur. Notum est dissidium Pauli & Barnabæ, *Act. 15. v. 39.* Africanorum & Romanorum, tempore Cypriani, de Baptismo: eorundem de potestate Romanæ Ecclesiæ, tempore Augustini. In iis autem dirimendis & ad unitatem reducendis non absolutam potestatem, ullum supremum vel caput vel iudex exercuit: imò adeò ad unum nusquam fuit recursus, ut ne ad Petrum quidem, sed ad Concilium, *Act. 15.* Ita quoque post Apostolorum tempora, quæstiones, quæ totam Ecclesiam attingebant, in Conciliis agitatae fuerunt.

XXXVIII. Adde, quod, qui in quibusdam dissident, inter se tamen fidei unitatem retinere possint, ut Augustinus & Hieronymus: Hieronymus & Rufinus, Anicetus & Polycarpus,

carpus, Epiphanius & Chrysoſtomus, Victor & Irenæus, Africanus & Coeleſtinus. Quidam enim argentum, quidam ſtipulam ſuper idem fundamentum ædificant 1. Cor. 7. v. 12. poſſunt enim in quibusdam diſſidere, & tamen in fundamento convenire.

XXXIX. Objecerunt nobis Pontificii noſtram Eccleſiam: Nos majori jure, & cauſâ ipsis ſuam pontificiam Eccleſiam objicere poſſumus. Juxta Coſterum enim Armeni & Græci olim Romanum Pontificem pro ſupremo jûdice & viſibili capite agnoverunt: qui verò ipſum hodie pro tali non agnoſcunt. Si igitur caput viſibile eſt cauſa conſervans unitatis & conſenſionis in Eccleſia: qui ergò fit, quod hodie illi diſſentiant? Quid? quod eadem argumenti vi & conſequentiâ ab ipſo quoque Pontifice Romano auferendum eſſet regimen Eccleſiæ: quippe qui ab unitate fidei & Eccleſiæ non rarò deſecit, & vel in ſchiſmata, vel in hæreſin recedit. Et aliàs quoque in Romana Eccleſia, quæ juxta Becanum ſemper habuit viſibile caput, intricatiſſimæ ſubinde ortæ ſunt diſſenſiones Scholaſticorum. Quas furias quoque Dominicani contra adverſarios ſuos Jeſuitas in quaſtione de conceptione B. virginis, evocaverint, quæque digladiationes extiterint, & adhuc extant, tum ex aliis documentis clarum & notum eſt, tum cum primis ex *πρὸς Βεῖα* ſive Legatione Philippi Tertii & Quarti, Regum Hispaniarum, ad Paulum Quintum & Gregorium Decimum quintum Pontifices, de definiendâ hac controverſiâ immaculatæ conceptionis B. Virginis Mariæ per Antonium à Trejo Episcopum Carthaginensium, Regium Conſiliarium & Oratorem, ex ordine Maſorum: conſcripta & concinnata per Lucam Waddingum, Hibernum, Manapienſem ejuſdem oratoris Theologum. Lege & miraberis!

XL. Sequitur tertia Becani ratio §. 25. *Tertia ratio, inquit, ſumitur ex inſtitutione Chriſti hoc modo: Primum regimen, quod Chriſtus in Eccleſia inſtituit, fuit viſibile & Monarchicum, quoad externam gubernationem. Nam ipſemet Chriſtus; ut ſupra oſtenſum eſt, tanquam ſupremum Caput & Monarcha, viſibiliter ſuam*

suam Ecclesiam fundavit & gubernavit. Vel ergò post ascensionem Christi, mansit visibile & Monarchicum regimen, vel mutatum est. Si mansit, necesse est, Ecclesiam post Christi ascensionem semper gubernatam fuisse ab uno visibili capite seu Monarcha, quod nos contendimus. Si mutatum est, planè sequitur, Ecclesiam ipsam mutam esse, nec eandem nunc esse, quæ olim fuit. Sicut enim qualibet Respublica censetur mutari, teste Philosopho, quando modus seu forma gubernandi mutatur; sic etiam de Ecclesia statuendum est. Atqui absurdum est dicere, Ecclesiam Christi mutatam esse: Ergo absurdum & illud, ex quo hoc sequitur.

XLI. Respondemus: Duplex esse regimen Christi. 1. Internum & universale, idque Monarchicum. 2. Externum & particulare, proindeque visibile. Deinde duplicem quoque esse Ecclesiam universalem & ut talem, invisibilem; & particularem, quæ visibilis esse potest. Quod ergo attinet propositionem Becani, Christum, tanquam supremum Caput & Monarcham visibiliter suam Ecclesiam fundasse & gubernasse; si accipiatur de universali Christi Ecclesia, neganda est. Nam Christus jam ante per Johannem Baptistam invisibiliter suam Ecclesiam fundaverat: quod negari non potest. Nam si Christus fuit invisibile caput Synagogæ Mosaicæ, ut concessit Becanus; quanto magis fuerit invisibile caput in Ecclesia Novi Testamenti à Johanne collecta, plantata & in nomine Christi baptisata, quem etiam postea digito monstravit, & testatus est, quòd sit agnus ille Dei, qui tollit peccata mundi, *Johan. 1. v. 29.* Atque sic dilemma propositioni isti superstructum per se corruit.

XLII. Si autem accipienda est de Ecclesia particulari, quam Christus visibiliter, & sic non tantum regimine suo interno sed externo quoq; plantavit, tum tantum restringenda est ad tempus Ecclesiæ particularis in Judæâ, de quo ad Romanos 15. v. 8. *Dico autem solum Christum ministrum fuisse circumcisionis, pro Dei veritate, ut confirmaret promissiones Patrum.* Et ipse Christus Matth. 15. v. 24. testatur, se non esse missum nisi ad oves perditas domus Israel, hoc est, se non venisse, ut ipse in sua per-

sona

sona & immediata prædicatione annunciaret gentilibus Eu-
angelium, vel etiam inter illas operaretur miracula, sed venisse
ad oves perditas domus Israël: quæ est Judæorum notatio, qui
non duntaxat respectu naturalis depravationis erant velut o-
ves errantes: sed quoq; propter corruptissimum statum, qui
tum erat, comparatur ovibus perditis, quod Moſis cathedram
invaſerant & occupaverant Pharifæi & Scribæ ſuis traditioni-
bus humanis; erroribus & corruptelis doctrinæ cœleſtis mi-
ſeram plebeculam ſeducerant ipſique ſacerdotes templum
Domini in latronum ſpeluncam converterant.

XLIII. Hoc ergo modo, inquam, ſi accipiatur propo-
ſitio, falſæ ſunt inde deductæ conſequentiæ, quæ dilemma cõ-
ſtituunt. Aliud enim eſt loqui de præſentia viſibili Chriſti
ὁ ἀποστόλος ad certum tempus, ejuſque regimine in particulari
Eccleſia: Aliud de regimine per alios homines in univerſali Ec-
cleſia: eâq; conſtituenda & propaganda in univerſo mundo, &
omnibus populis.

XLIV. Quis ergo concedet hanc ſequelam: Chriſtus
viſibiliter, propterea quòd erat miniſter circumciſionis, vo-
luit propagare, & regere & amplificare particularem Eccle-
ſiam, quam inter Judæos inchoaverat & plantaverat Johan-
nes Baptiſta: Ergo etiam vel ipſe immediatè tanquam ſupre-
mum caput debet gubernare univerſalem Eccleſiam per to-
tum orbem diſperſam, & ex omnibus populis collectam Ec-
cleſiam: vel ipſum ſuccedere debet ſupremum aliquod vica-
rium viſibile caput? Nulla, inquam, conſequentia, quia ratio
ceſſat in univerſali & totali Eccleſia: ideoque eam immediatè
non docere vel legere voluit: ſed mediatè, & quidem ita me-
diatè, non ut nobis videtur bonum, ſed ut ab ipſo Chriſto eſt
inſtitutum. Inſtitutum autem à Chriſto eſt regimen miniſte-
riale, non Monarchicum ſed Ariſtocraticum. Scriptura enim
nullibi aſſerit, eſſe penes unum ſolum; ſed pluribus locis, eſſe
penes Episcopos & Presbyteros. *Matth. 18. v. 17. 20. 1. Cor. 5. v. 4.*
1. Tim. 3. v. 11. Tit. 1. v. 5. Eph. 4. v. 11. Hebr. 13. v. 17. 1. Pet. 5. v. 1. & 2.
Adde, quòd exorta prima controverſiâ in Eccleſia prima Epi-
ſcopi

Scopi & Presbyteri de eâ judicârunt. *Act. 15. v. 6. & seqq.* non autem unus aliquis, imò ne Petrus solus, licet Concilio interesset.

XLV. Neque sequitur, Christi Ecclesiam etiam quoad formam mutatam esse, si post ascensionem illam gubernare mediatè voluerit, non per unum sed per plures ministros, Episcopos & Presbyteros. Nam distinguendum est inter externū gubernandi modum, & inter internam formam Reipublicæ, quæ consistit in influxu potestatis à Majestate. Hæc quando manet eadem, etiam si ille mutetur, manet tamen eadē & forma & essentia Reipublicæ. Sic fieri potest, ut forma Reipublicæ sit Aristocratica, modus tamen externus regnandi sit Monarchicus, ut Romano Germanicum nostrum imperium est Aristocraticum, ut illud nominat, & retinendum esse fideliter suadet Elector Moguntinus in oratione suâ de eligendo Imperatore Carolo Quinto, apud Schleidanum lib. 1. sub anno 1519. Quod nihilominus externè gubernatur per unum Imperatorem, & sic modo Monarchico. Sic si aliquis Rex provincias sui regni per vicarios & proreges gubernaret: modus quidem regnandi externus esset Aristocraticus, interna tamen forma maneret Monarchica. Nam Proreges illi non haberent absolutam potestatem, sed omnis illorum Majestatis potestas ab unitate sive ab uno influeret, nempe ab ipso uno Rege. Eodem etiam modo (si omninò gubernatio Ecclesiæ cum regimine politico conferri debeat) quando post resurrectionem Christus suos discipulos misit in univèrsum mundum, ut ubique locorum plantarent Ecclesias, ille gubernandi modus externus fuit quidem Aristocraticus, interna tamen forma mansit Monarchica. Quandoquidem Majestas illius gubernationis æquè fluxit post ascensionem, & adhuc fuit ab uno illo capite Christo, ut derivata fuit ab illo, cum hisce intertis visibiliter Ecclesiam plantaret ac gubernaret, juxta verissimam & immutabilem ipsius promissionem: *Ego vobiscum sum omnibus diebus usque ad consummationem seculi.* Matth. 28. vers. ult. & Marc. 16. vers. ultimo. *Illi verò egressi prædicarunt ubique, Domino unâ operante, & sermonem confirmante per signa*
subse-

subsequentia. Et Hebr. 2. vers. 3. & 4. *Quomodo nos effugiemus, si tantam neglexerimus salutem? quae cum primum enarrari coeperit per ipsum Dominum, ab iis, qui ipsum audiverunt, nobis fuit confirmata; attestante Deo & signis & prodigiis variisq; virtutibus, & Spiritus S. distributionibus pro ipsius voluntate.*

XLVI. Ex hisce dictis concludat Jesuita, annon Christus Dominus etiam post resurrectionem simpliciter manserit supremum caput suae Ecclesiae: quippe cui omnia, quae ad Majestaticam operationem in regno hoc spirituali spectant, unice adscribuntur, & nequaquam Apostolis, vel uni vel omnibus, sed in illos potestas istius Majestatis influxit, & per illos derivata est in omnes cives sive Christianos. Ergo omnino mansit haec Christi Hierarchia Monarchica; sed non propter unum visibile caput vicarium, quod nunquam a Christo substitutum vel ordinatum est: sed propter ipsum Christum, qui jam sedens ad dextram Dei Rex est super omnia, & caput suae Ecclesiae benedictum in secula.

XLVII. Tandem & coronidis loco haec Jesuitis perpendenda propino: Nulla est consequentia, si in hunc modum concludere vellem: *Quemadmodum Christus plantavit Ecclesiam unam cum discipulis suis tantum in Judaea & Galilea: Ita post ascensionem Christi discipuli debuerunt illam propagare tantum in Judaea & Galilea.* Nulla inquam haec est consequentia. Sed quam ob causam Jesuitae? Sane quia hic nihil fingendum, & consequentiis agendum: sed manifestis & verbis & mandatis Christi insistendum. Is igitur ante suam mortem & resurrectionem mandaverat discipulis & dixerat: *in viam Gentium ne abieritis, & in urbem Samaritanorum, ne ingredimini, sed proficiscimini potius ad oves perditas domus Israel. Profecti autem predicate &c. Matth. 10. vers. 5. 6. 7. sic post resurrectionem mandatum suum amplificavit: profecti in mundum universum, docete omnes gentes, & predicate Evangelium omni creaturae, Matt. 28. v. 19. Marc. 16. v. 15.*

XLVIII. Ut autem ibi consequentia non est fingenda: sic

D

da: sic

da: sic neque hæc erit aliqua: *Christus antè resurrectionem suam plantans Ecclesiam inter Judæos, fecit hoc visibiliter. Ergo debuit etiam illam in universum visibiliter propagare: Ratione quidem Jesuiticâ sequeretur; sed non Spiritus Sancti, qui in Scriptura contrarium docet. Eodem modo ficta & stulta est consequentia: Ut Christus tanquam unum visibile caput inter Judæos plantavit Ecclesiam particularem: sic post ascensionem suam, & postquam abiit ad Patrem, debuit unum visibile caput constituere, quod particulariter plantatam Ecclesiam in universum mundum propaget. Stulta, inquam, est hæc consequentia: cum expressè testetur Scriptura, quod per undecim suos discipulos (quibus postea duodecimus adjunctus fuit,) æqualiter à Spiritu Sancto electos, & æquali potestate præditos, istud præstiterit: Qui postmodum singulis Ecclesiis suos præfecerunt Episcopos, qui quæque rursus suos habuerunt successores, itidem æquali potestate præditos, ut Ecclesiastica historia abundè testatur, donec tandem summam illam potestatem sine ullâ vocatione divina vi & fraude Pontifex Romanus rapuit, seseque supra omne, quod Deus est & dicitur, collocavit.*

SOLI DEO GLORIA.





Ad Præstantissimum Dn. RE-
SPONDENTEM.

Tu quoq^{ue}, sublimi, SCHRECK I, de pon-
te cathedræ

Discurrens, nugæ detegis arte Papæ.
Gratulor hos ausus! Tandem Tibi præmia
digna

Surgent. Non etenim linoquit Apollo
suos.

Amor. ergò

approp.

Balthasar Meisnerus.

F I N I S.

Ad Prætorium
In

Ad Prætorium
In

De
In

In

In

In

In

JACOBO

In

NICOLAI

In
Anno MDCXXX



99 A 6900

ULB Halle 3
002 622 092




SB

Repro

VD 77







B.I.G.

Farbkarte #13

57

TERTII
Confessionem
XXIV.

IS
ICVLI VII.

lesia,

ION E:
m, debeat esse
esiae in terris, qui loco
rnet Ecclesiam.

a VVittebergensi,
I D E
RTINI S.S. Th.

mario, Facult. Theol.
Arcis Praeposito,
ENTE
Schrecken Salburgensi
an. Elect.
llegii Veteris
ob.

ER G Æ,
AURBACH, Acad. Typogr.
C XXX.

